



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindellicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio CLIV. Christus crucifixus, prodigium amoris, requirit à nobis etiam nostrum reciprocum amorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

ducta est: *Ordinavit in me charitatem.* Textus Hebraicus habet: *Vexillum* Cant. 2. 4.
eius super me charitas. Et quare vexillum? R. Cornelius hic: Porro ve-
 xillum charitatis Christi, est vexillum crucis. In cruce enim invictam
 & summam charitatem, tum erga DEum, tum erga homines Christus
 ostendit, unde per eam de peccato, morte, diabolo & inferno trium-
 phavit. Idcirco Constantinus Magnus hoc crucis vexillum sibi in cœ-
 lo cum hoc lemmate ostensum: *In hoc signo vinces,* castris suis contra
 Maxentium aliisque tyrannos prætulit, & per illud omnes hostes
 prostravit.

4. Rectè Osee Propheta de Christo vaticinatus est: *Ego quasi nu-* Osee 11. 3.
tritus Ephraim portabam eos in brachiis meis. O quomodo in brachiis tuis
 o mi Jesu portasti nos? R. Mendoza: In brachiis meis in cruce di-
 stentis, ibi enim extendit Dominus brachia sua ad amplectendum
 nos, & portandum. Alii sic explicant: Ego quasi nutrix; & sicut nu-
 trix ad alliciendum parvulum plenè extendit brachia, & quantum po-
 test, cum tamen parvulà extensione possit eum colligere, & amplecti:
 Sic Christus fecit in cruce. En infinitum amorem Redemptoris tui in
 cruce affixi, & quid aliud requirit, nisi ut ex toto corde & omnium
 viscerum latitudine redames illum? *Deus habet,* ait S. Bernhardus,
manum semper apertam, imò etiam perforatam, quia ex utraque parte manus dis- S. Bernhard.
fundit bonitatem suam super omnes creaturas. t 3 serm. in
 diebus Rogat, hic.

5. David Rex ubi redemptionem generis humani suo tempore
 per Christum adimplendam perspicaciori mentis oculo prævidit, ad-
 mirandus exclamavit: *Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum* Psal. 129. 7i
redemptio. Verè copiosa in cruce nostra fuit redemptio, suffecisset enim,
 prout alibi diximus, ad redemptionem orbis vel una pretiosissimi San-
 guinis gutta, sed omnem placuit profundere; & quod plus est, ideò
terra mota est, ut patientis Christi, ait Didacus del Castillo Illat. 46. in Math. 27. 51.
 homines ostenderetur liberalitas & amor. Emanarat largiter per Vul-
 nera sanguis; & forsàn aliqua ejus portio ob gravitatem nativam in
 ima parte pectoris remanebat, unde exire non poterat, nisi excuteretur
 artificiosè: ideò inusitato fragore terra concutitur, ut illo etiam crux
 moveatur, & sanguinis illud reliquum in pectore agitatam per vulnus
 lateris foras profunderet; quia si vel guttula remaneret, conqueretur
 amor, vel minimam sanguinis guttulam pro humana salute non ob-
 latam & effusam. Hæc de Castillo.

Collige ex hoc divini amoris vehementiam & magnitudinem,
 unde meritò conqueritur per os Sapientis: *Extendi manum meam, & non* Prov. 1. 24
fuit qui aspiceret. Observa: Extensio manûs, signum est summi amoris
 & desiderii, quo Deus & Sapientia homines omnes expansis charitatis

brachiis complecti, stringere, sibi que unire satagunt. Hac de causa Christus in cruce brachia extendit, ut iis totum mundum amantissime complecteretur; imò extendit manus, quasi rogans, & obsecrans, ut ad eum accedamus. Ita Venerabilis Beda apud Corneium hic. Adhuc melius S. Joannes Chrysoftomus: *Immortalis pro mortalibus mortuus est; innocens pro reis occisus est; justus pro peccatoribus interemptus est. Unde cognoscitur, quantum præstabit servantibus, qui tantum peccatoribus præstitit. Tantum in te Christi amorem quò amore Christiane pensabis? Quidquid in ejus obsequio erogaveris, parum est: Quidquid in ejus servitium impenderis, minus est. Nec si animam dederis, aut sanguinem fuderis, compensabis. Hoc solum potes, reddere amorem pro amore, & quidem quantum potes. Erige te.*

6. Paulus vinctus Christi Jesu (ita se ipsum vocat) impensè orabat pro suis dilectis Ephesiis neophytis, ut in fide Christi, & in charitate radicati permanerent, & ut bene comprehenderent quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas & profundum, ut sic supereminentem scientiæ charitatem Christi agnoscerent, unde ad ipsos inter vincula paternæ & Ephes. 3. 18. pro singulari solatio scripsit: *Ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, qua sit latitudo, & longitudo, & sublimitas & profundum.* Et quale, obsecro, hoc ænigma est? non capio; Interrogemus alios.

S. Gregor. Nyssen. orat. 7. de Resurrect. R. D. Gregorius Nyssenus Apostolum hinc voluisse ad Crucifixum Jesum & ad immensum ejus alludere amorem, ac præsertim ad quatuor cornua crucis, summumque cornu dici altitudinem, imum dici profundum, transversum unum dici longitudinem, alterum latitudinem, per quod voluit demonstrare, quia charitas, Jesu Crucifixi se in omnes gentes & homines diffundit, pro omnibus enim passus est Christus.

S. August. in Psal. 103. Oportet, ut & hic audiamus S. Augustinum: *Erat, inquit, latitudo, in qua porrecta sunt manus, longitudo à terra surgens in qua erat corpus infixum, altitudo ab illo devexo sursum quod eminent, profundum ubi fixa erat crux; & ibi spes omnis vitæ nostræ.* Caterum ponamus crucem in terra jacentem, quam quæstionem idem S. Augustinus suo ævo Christianitati proposuit: *Jacens crux quatuor mundi partes appetit: Orientem videlicet & Occidentem. Aquilonem & Meridiem; quia & Christus per passionem suam omnes gentes ad se trahit;* ac præsertim Europæos, ad quos in cruce moriens (prout plurimi SS. Patrum scribunt) faciem convertit, & Judæis deorsum ostendit. Igitur, subintrat hic Mancinus, felices Europæi, velle eo nomine, quòd emorientis in cruce Christi faciem, oculos & ora ad nos conversa aspeximus: Quòdque ad pendentis dexteram fuimus. O! ut hoc ipsum præsagium sit, & omen felix, Europæos olim quoque Christo supremo Judici à dextris futuros in numero salvandorum; cum

S. Chrysoft.
hom. 2. in
Joan. 15.

S. Gregor.
Nyssen. orat. 7.
de Resurrect.

S. August. in
Psal. 103.

S. August.
serm. 181. de
Temp. c. 4

Mancin. lib.
5. dissert. 2.

cum pars hominum à dextris, pars à sinistris constituta, decretoriam præstolabimur sententiam. Audi clementissime DEUS, votum hoc, & ratum habe.

7. Consulamus S. Petrum Apostolorum Principem. Cum hic Baron. to. 2. Annal. Eccles. anno Chr. 69. Romæ detineretur captivus in carcere Mamertino, suadebant & instabant primi Christiani ut fugam capefferet; sed cum non statim id impetrarent, iteratis precibus actum est, quæ tantum apud amantissimum suum Patrem valuerunt, ut rogantibus ac penè cogentibus manus dederit, & fugam adornârit. Sed extra portam, quæ nunc S. Sebastiani dicitur, in via Appia occurrit fugienti Christus, qui rogatus à Petro: *Domine quò vadis?* Respondit: *Venio Romam iterum crucifigi.* Intellexit autem Petrus Christum non in suo, sed in Petri Apostoli & Vicarii sui corpore velle crucifigi. Protinus ergo ad carcerem rediit, & paulò post crucem subiit. Et ecce cum nunc armatâ manu duceretur ad crucem, noluit crucifigi Petrus eo modo quo Christus, ex humilitatis affectu, ne Christo in gloria crucis æquaretur, sed inverso, scilicet capite deorsum, & pedibus in altum sublati. Ita suos Amatores remunerare solet Crucifixus Dominus, quod patet in Petro, Andrea & Philippo, qui crucem tollentes Christum sunt secuti, & idè illi charissimi.

De S. Philippo Ap. refert. Clemens Alexandrinus libro tertio Stromatum cap. 2. quòd fuerit ille juvenis, qui prætexens amorem parentum cum à Domino invitaretur ad relinquendum sæculum, inducias petierit, dicens: *Domine permitte me primùm ire, & sepelire patrem meum,* sed Dominus respondit: *Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos,* quod fecit & Philippus, ac Christum omnium primus secutus est, & usque ad crucem, in qua Christum prædicans tandem lapidibus obrutus est, ò felix obitus! in cruce vivere, in cruce mori, & sic assimilari Crucifixo JESU.



CON-